IOHANNIS
IN NUPT. IO.
SCHOUGARD









10. Jan.

ECLOGA IN HONOREM NVPTIARVM

VIRI, INSIGNI GENERIS NOBILItate, multa Virtute, & incredibilj Humanitate præstantißimj, Dominj IOHANNIS SCHOVGAARD, Domini de GVNDERSTRVP, senatoris Regni Daniæ prudentißimj; Contrahentis matrimonium cum virgine generosißima, ANNA PARSBERG, Filia amplißimj hœrois, piæ memoriæ, Dominj VERNERI PARSBERG, Equitis auratj, & Senatoris quondam Regni Daniæ dignißimj.

HAFNIÆ,
Impreßit Laurentius Benedictj.
1574.



A. H. M. G.

Gib Hilff Vnd Raht.

1574.

Vnde per haffniacos ſonuerunt carmina montes?
Vnde nouenarum ſubitó ſacra turba ſororum,
Quas trahit ad placidos gyros Pataræus A-
Quidue cohors Iuuenū geſtit pulcherrimus ordo? (pollo?
Virgineusq; chorus, matrum comitante caterua?
Scilicet hoc nemo melius quam doctus Amyntas
Exponat Lycidæ, & conſortem in gaudia ponat.

Amyn. Et cecini, & ceciniſſe iuuat, nunc maior Amyntæ
Carminis ardet amor, maior quia cauſa canendj.
Arbuſta hîc ſileant, cedant teneræq; Myricæ,
Syluas ingredimur, ſacra connubialia tentat
Ille bonus tutor noſtrj gregis, ille Leonum,
(Sub quibus has terras colimus) ſecreta gerendo,
Nos quantum, & quantum (ô dij) patria rura beauit.
Ille ſibi ſimilem vultu & virtute, (fauente
NVmine) formoſam cæpit redamare puellam,
Quam longos noſtræ iuſsit ſperare per annos
Conditio patriæ, dubiis agitata periclis.
Huic erit ex voto feſtum ſolenne futurum.

Lyci. Perge precor nomenq; viri, genus atq; recenſe,
Dum nos ſub patula defendimus arbore ſolis
Ardore, alterno mulcebimus aera cantu.
Nunc ſiquidem pecudes ſua captant noctis in vmbra
Paſcua, nunc vernis gaudet Trachinia nidis
Alcione, & placidis cantat Philomela ſub vmbris.
Nonnullos etiam vel vimine fallere piſces,
Venari, & timidis tum retia ponere damis

Delectet, reliquos iuuat & certare palestra.
Vnumquemq; trahit sua pro ratione voluptas.
Amyn. *Nobile nomen habet SCHOVgardius, atq; parentum*
Occupat eximios, & auitæ stirpis honores.
Quem cum Danorum Fridericus sceptriger almus
Conspexit, Iuuenile decus, vultumq; animumq;
Miratus, laudansq; suæ concredidit Aulæ.
Non vulgaris honos, non rustica visa propago,
Forma nec in rigida vexari digna Catasta,
Sed magno domino (meruit quem) dignus adesse,
Cuius consiliis secreta, arcanaq; regnj
Expedienda bonis, voluit Rex ipse benignus.
Et mirum Dominj prudentér vt omnia iussa
Exequitur vigilans, simul officiosus in omnes.
Ille est IOHANNES Schougardius optimus hæros
Totius haud dubié septem inclyta fama trionis.
Ecce cupit sacros optatæ virginis ignes,
Quam gauisa tulit PARSbergica stirpis Origo,
Stemmate ab antiquo virgo venerabilis orta.
Cuj similem paritér mentisq; & corporis auctam
Dotibus, his syluis nostrùm vix repperit æuum.
Nam color in facie niueus, roseusq; relucet,
Nix intacta velut, velut ostro purpura tincta.
Natura simplex per se pulcherrima Niphe,
Incessus constans, gratiq; in corpore motus,
Ingenij & si quæ sunt cætera signa pudicj.
Est nitidum corpus per picta holoserica cinctum,
Quod varia longé fulgebat veste retectum.

Candida

Candida colla ſuper precioſa monilia pendent,
Aurj magna, roſæ quoq; copia nobilioris,
Reticula & pulchré glaucis aptata capillis,
Dextera quos mollis, quos rari pecten eburnj
Vertice panchæo fuſos ornarat odore.
Gemmiferum caput extollens longéq; renidens,
Haud ſecus ac ſpecies nitidi præclara Smaragdj
Fulget vbi argento, fuluoue imponitur auro.
Hæc ſunt connubij fælicia fædera toto
Quæ regni applauſu fiunt, votisq; bonorum.
Ergo canat lycidas ſponſo, ſponſæq; decoræ,
Æternæ hi Cedro digné inſcribentur amores.
Pauperiore fluant quamuis mihi carmina vena, **Lyci.**
Et mihi collapſæ langueſcant pectore vires,
Magna tamen ſponſi virtus me dicere verſus
Imperat, Haffniacis agris, & collibus iſtis
Haud prius auditos, mihi dux ſis rector Olympj.
Fælix illa dies, noctis fælicior vmbra,
Qua placuit paritér SCHOVgardo, ANnæq; profeßum
Clamaretur hymen, legesq; ſubire iugales.
Huc precor ô famulj ſimul ô properate miniſtrj,
Magnus honos ſponſæ, ſponſo reuerentia maior
Fiet, Flora veni flores iam ſparge virentes,
Floribus atq; roſis, violis & lilia mixtis.
Hîc opus eſt Chloris iuuenem per tempora cinge,
Nox abit & gelidæ non torquent arua pruinæ,
Lux redit alma, ſoror, iam ſol ſaturatus amicis
Hoſpitis Oceanj menſis, monet vſq; labores.

Surgite îo pueri, mensasq; parate superbas,
Mitia poma sua arboribus Pomona comatis
Carpat, vt hæc sponsum delectent visa decorum.
Fruges suppeditato Ceres, bona Vina Lyæus
Præbeat, innumeros riget vindemia Bacchi.
Surgite îo pueri mecum properate, venite,
Hîc frumentiferis panchaïa fertilis agris,
Noster vbi æterno vestitur gramine campus,
Splendida metropolis propé stat de marmore Nysa,
In qua tecta nitent pinnatis ardua muris,
Robora quæ niueo stant candidiora ligustro,
Mille figuratis fulgentia rité figuris.
Hîc locus, huc pergat mecum velocitér omnis
Fundere qui nouit Vino carchesia plena,
Atq; dapes lautas nitidis apponere mensis.
Auro dum sponsus colloq;, comisq; coruscus,
Greßu constanti multa comitante iuuenta,
Cum sponsa haffniacas sacras sese inferat ædes,
Regis ad inuictam (ô rara & pia gloria) dextram.
Ardua sic virtus grauibus bené cognita rebus,
Dilectum penitus fecit redamare ministrum.
Est nouus excultis nitor aureus vndiq; templis,
Quæ picturatis fulserunt rite tapetis.
Hîc mansura facit semper pia vincla sacerdos,
Coniunctis dextris, duo pectora nectit in vnum.
Cultaq; diuino Cantores carmine mulcent
Limina sacra Dei, ferientes cantibus æthra,
Artificisq; manu docté sunt organa preßa.

Hîc

Hîc finis sacri, rursus redit aurea pompa
Ingreßura fores celsas, altosq; penates,
Regalisq; tubis praecedit turba sonoris.
Splendida magnifico fiunt conuiuia sumptu,
Digna loqui nequeo, claro discumbere coelo
Hîc videor Iouis ad nectar, mensasq; beatas.
Postquam sicca sitis dulci sublata falerno
Atq; epulis, ecce altera adest renouata voluptas.
Musica succedit, succedunt sistra, tubaeq;,
Hic chelyn, hic citharam, bene Tympana pulsat & alter,
Dulcisonisq; modis regalia compita complent.
Fallimur? intereá fluitantia sydera nobis
Gaudia surripiunt, ô vitae parua voluptas:
Scilicet haud gracili surrexit lumine Luna,
Desuper & mundo flammantia cornua misit.
Quaré Schougardo vt Thalamos sensére parari
Astantes iuuenes, nymphae simul ore canoro
Carmina digna toris omnes modulantur in aula,
Germaniq; suam teneram duxére sororem,
Incensaeq; faces, longé flammaeq; volantes
Luciferae hîc aderant, per cuncta cubilia mille.
Postea quid gestum noster dic frater Amynta:

Amyn. Postera lux operum monitrix vbi laeta redißet,
Omnia praeteriti renouantur festa diej.
Tympana pulsa sonant, simul & dat fistula cantus.
Non Maro facundus, non haec smyrnaeus Homerus
Vt sunt gesta suis poterant narrare camaenis,
Ergo Schougardi citius mea musa silebit,

Cum me tam longé vincit tua fama canentem,
Atq; tuæ meritj plus sponsæ illustris honores.
Doctior incipiet, qui vos serosq; nepotes
Æterno vt dignum est transmittat nomine in æuum.
Tu vale Danorum flos inclyte; viue, valéq;,
Nulla tuam obscurent mala nubila sydera famam,
Perge vt cæpisti bené pergere, cuncta fauebunt
Numina, Rex atq; æqualis sacer ordo bonorum,
Et quicquid salua gaudet virtute, fauebunt.
ANNA simul valeas, tua cognita, notaq; regj
Supremo est pietas, decimo te mense beabit,
Auguror, eximios fructus tunc læta videbis.
Interea formæ fugientibus vtere donis,
Et Pietate Saram, vincas virtute Rachelem,
Ingenio sexum, fatisq; fauentibus annos.

IONAS IOANNIS. Koldingensis.